



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Regula Sancti Patris Benedicti**

**Benedikt <Montecassino, Abt, Heiliger>**

**Moguntiae, 1604**

III. De Visitoribus Monialium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64533)

*Quod non acceptentur ultra dicta Monasteria, per Congregationem nostram, nisi seruatũ certis conditionibus.*

## CAP. II.

**M**ONASTERIA Monialium si qua acceptanda (quod tamen euitandum est pro quiete & pace Fratrum nostrorum nullatenus acceptentur a modò, nec in visitatione, nec aliter quouis modo: nisi de consensu duarum partium ex Prælati, qui in consilio intererunt.

*De Visitatoribus Monialium.*

## CAP. III.

**V**ISITATIO Monialium omnium Congregationi nostræ subditarũ fiat a modò per quatuor tantum Visitatores, distributis in duas partes dictis Monasteriis: ita quod unusquisque binum, quilibet Monasteria sibi destinata visitare habeant, vacetque ipsorum officium biennium: id est, quod qui vno anno Visitator fuerit: duobus sequentibus annis Monialium Visitator esse non possit.

2. Quod si contingeret aliquem Prælatum Visitatori alicui ob quamvis causam con-



cutum, actu visitare aliquod dictorum Monasteriorum non possit, sequenti anno illud idem Monasterium actu visitare.

3. Visitatores igitur, quando vadunt ad visitandum aliquod Monasterium Monialium, hortamur ut quantum possibile est, caueant ingressum Monasterii: & id exigente necessitate cum omni modestia & grauitate & sobrietate faciant. Et simul ambo semper incedant: nec vnus ab altero discedat. Atque ut non solum verbo, sed etiam facto edificent visitatas. Ordinamus, & strictius precipimus, ne quis omnino eorum præsumat ibi comedere carnes, nisi in casu magnæ necessitatis.

4. Neque adducant secum socios, nisi maturos & graues viros, atque ætate prouectos: & in quantum fieri poterit ducant socium Confessoris. Nec permittant socios suos vlla ratione loqui cum Monialibus, nisi de expressa sua licentia: quam hortamur, ut non facile concedât, nisi pro necessariis tantum, qui etiam Fratribus quibuscunque ad se pro quacunque causa venientibus non possint ut cū Monialibus loquantur licentiam impertiri. Quique Visitatores durante eorum annuo officio, non præsumant accipere munuscula aliqua à Monialibus, nec ab ipsa Abbatissa: ne secundum dispositionem sacrorum canonū pena restitutionis in duplum, & à Diuinis (quod magis timendum est) suspensionem incurrant.

5. Quod si in visitationibus earū aliquid nota



dignum inuenerint, referant Capitulo Generali, vt debita prouisio adhiberi possit: & quas alicui Moniali concesserint licentias scriptis dent, aliter fides non adhibeatur.

*De Prælato, & Conuentu Monasterii cui subest cura Monialium.*

## CAP. IV.

**P**RÆLATI Monasteriorum quibus subest sunt Moniales nostræ, non præsumant ingredi dicta Monasteria: nisi pro aliqua ardua necessitate, & ab Abbatisa, cum Deputatis fuerint requisiti. Et tunc cum Confessore, siue eius socio, aut de licentia Deputatorum suorum, cum alio probo & maturo & ætate prouecto Fratre. A quo nunquam discedant dum sunt in Monasterio: & nunquam accedant significanti Superiori Monasterii sui, nec aliter possint accedere, nec inducant iuuenes aut leues Fratres.

2. Caueant autem Prælati, ne alicui Moniali concedant speciales licentias: quantum si dederint, dent in scriptis: nec aliter credatur tales licentias allegantibus.

3. Prælati quoque, quantum fieri poterit non comedat: aliis uero Fratribus, præter socium Prælati & Confessoris, in hospicio Monasteriorum Monialium comedere penitus interdiciamus.

4. Quando autem aliquis Frater petierit licentiam eundi ad visitandas aliquas Moniales